



Michael natus est apud Soranenses in Silesia anno circiter 1520. Ibi cum prima literarū fundamenta iecisset, sese hinc inde ad Academias contulit, atq; præsertim apud Saxones præclaram sibi eruditionem comparauit. In primis autem Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ incubuit, & earū magnum sibi usum comparauit. Postea quoq; Philosophiæ studium coniunxit, & in arte Poëtica feliciter uersatus fuit. Hac eius eruditione factum, ut in celebri monasterio Ilfeldensi reformato, atq; in præclaram scholam conuerso, ipse preceptor & moderator constitutus fuerit. In eo loco iuuentutem omni genere literarum instituit atq; suis lucubratio-
nibus omnibus innotescit. Homerum enim, Theognidem, Pindarum, & mul-
tos alios Græcos Poëtas optimè uertit, atq; locos obscuriores suis scholijs il-
lustrauit. Hac ratione ipse etiamnum magna dexteritate pergit, & apud Se-
ptentrionales Germanos magnum sibi nomen comparauit. Sperandum etiā
literarum studiosos breui plura alia eaq; utilissima ingenij monumen-
ta ab eodem accepturos, id quod etiam ex animo optant. A-
nonymos.